



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LXXI. Davidis ex peccatis pœnæ, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

pendit. Hunc in modum sublatis inimicis & regni
turbatoribus, sceptrum Salomon pulcherrimè ita-
bilivit, gubernationem à justitia, *qua thronus firmatur.*
Prov. 25. exorsus. Comendandus plurimum
à tam æquis auspicijs, quibus gladium justitiæ initi-
avit; cautus scilicet, ne quid nimis vel in ipsa Cle-
mentia. Nam qui parcit sceleratis, bonos ita per-
ditum; & damnat innocentes, qui nocentes ab-
solvit.

NARRATIO LXXI.
DAVIDIS EX PEC-
CATIS CATENATÆ
P O E N Æ.

2. Reg. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 24.
Et 3. Reg. c. 2. &c.

Ab Anno Mundi 3000. ad an. antè Ch. 1054. us-
que ad obitum Davidis, id est, ad Ann. M.
3019. ante Ch. 1033.

ARx est mens hominis; unâ oculi portâ ma-
lè custoditâ, irrumpit hostis, facilis & exitus
ingressus patet. Quàm prona sit ex uno ca-
su prolapsio in plures, nimis quàm clarum & hor-
rendum paradigma David exhibet. Is, qui ante
fœdam cum adultera consuetudinem, clementia
poterat, Justitiæque exemplum proponi, ostendit
in expugnatione *Rabbathæ*, quàm procul abesse debet
illa mansuetudinis laudis, quâ se prius DEO eximie
probârat. Justitiæ verò integritatem pessimè cor-

rupit, cum *Sibam*, perfidiosissimum servum, contra dominum suum Miphibosethum audivit, & indictâ causâ innocentem condemnavit. Sed ut peccatum unum, est alterius supplicium; ita David hanc quoque injuriam aliâ luit injuriâ, Numinis justa lege sic exigente, ut, qui unum servum iniquè locupletârat, per alium gravissimè castigaretur; Semel is fuit, qui nesciens executorem divinæ Vindictæ egit.

Cæterum Autores non aspernandi, inter argumenta manûs DEI Vindicis, numerant primum statim filiorum Davidis flagitium; incestum *Amnonis* cum *Thamare* sorore, permissum à DEO, Davidis patris adulterio castigando. Eòdem referunt *Amnonis* ejusdem postea interfectionem; *Thamaris* merore fraterni stupri tolerati tabitudinem; *Absalonis* rebellionem & interitum; *Adoniae* factionem ac necem; *Salomonis* mollitiem, senilémque dementiam; *Roboami* stoliditatem, ac decem Tribuum à regnatrice Davidis Domo avulsionem; *Ioabi*, Davidis sorore geniti trucidationem; longasque posteriorum vel improbitates, vel calamitates; quas adulteratæ *Betsabæ* Thorus, Gladiusque trucidator *Urie*, Davidicum in caput, serámque progeniem extendit.

Porro inter primas Adulterij & Homicidij perpetrati pœnas fuit, pueri vix nati lethalis ægritudo, quam tam impotenter tulit David, ut septem ipsos dies, non se passus induci ad cibum degustandum, abstinerit publico, incesserit atratus, saccoque o-pertus, humi jacuerit prostratus, DEO necquicquam supplex pro infantis salute.

Sub-

Subinde profligato, caſoque Abſalone, red-
 ctus in regnum, antequam Ierofolymam reverte-
 retur, periculum ſeditionis, ne ab intentatis ſuppli-
 cijs interquieſceret, adit: rixantibus inter ſe, de-
 que reductionis ambitu contendentibus, hinc qui-
 dem Iudæis ac Benjamitis; illinc verò decem ceteris
 tribubus. Ubi parùm abſuit, quin ad manus
 denuò veniretur. Ingreditur poſt hæc Ierofoly-
 mam, dat perpetuam in cuſtodiam uxores ab Ab-
 ſalone ſœdatas. Videtur ipſe ſibi reſtitutus tran-
 quillitati priſcæ: ſed continuò, novis rebellionum
 fluctibus involvitur. Inſurgit enim, adhuc in via,
 reditùque *ſeba* vir Benjamites, contribulis Saulis;
 & hinc inſenſus Davidi ſucceſſori Saulis. Is bucci-
 næ ſigno, ſeditioſisque concionibus, undecim ipſis
 tribus abſtrahit à ſui Regis obſequio, Judæ ſolam
 tribum ei relinquit; quoad & hanc, ſi poſſit, ad de-
 ſectionem impellat. Nec deſperat deijcere ſolìo,
 modò recuperatò, alienum: quem Regnò jam inve-
 teratò dejectum nuper, viderat in filio. Sed vin-
 citur ac fugatur *ſeba*: Fugatus obſidetur: obſeſſus
 obruncatur. Redit ad Davidem omne regnum,
 Hiſtoria pluribus verbis, à ſacro ſcriptore refertur.
 Fugiens quippe *ſeba*, receperat ſe in urbem *Abelam*,
 validè communitam, inſequentis Ioabi manus evi-
 taturus. Ea re cognitâ, Ioabus urbem obſidione
 cingit, impreſſionem in muros molitur. Cives
 de ſua non minùs ſalute, quàm de urbis incolumi-
 tate ſolliciti, ſtatuunt periculo eximere ſeſe, dedi-
 tione *ſebæ*, hominis advenæ. Id ut Ioabo nunti-
 aretur, mittitur ſuper muros mulier, quam & ſe-
 xus ab hoſtium armis facilè defenderet, & facundia,
 quâ

quā pollebat, Ioabo conciliaret. Habent enim hoc fœminarum illecebræ, tela gerunt in lingua, quibus fortissimum quemque seu vincunt, seu vincunt. Ergo stans in mœnibus matrona, sapientiæ laude inter suos inçlyta, evocat Ioabum ad colloquium, & hortatur, ne unius ob noxam, plurimorum salutem perdat. Illi Sebam sibi dedi poscenti, promittit mulier caput noxium. Neque diutiùs factum est; ejus consiliò, caput turbatori regni præciditur, eoque è muris ad obsessores projectò, finis bello imponitur. Hoc malò sic depulsò; mox aliud Davidi incumbit. Inter hæc enim (quod suprâ memoravimus) *Ioabi* Ducis ambitiosâ perfidiâ, perit ei Dux *Amasa*, Ioabo successor destinatus, & præturæ militaris collega factus. Secutum, post hæc, triennium omni Davidis regno grave: terrarum, fiderumque siccitate. Fames & luctus in omni Chananitide. Nec calamitatum finis; donec Oraculi responsò, pœna, propter Saulis crudelitatem inflicta, Saulæ stirpis excidio relaxaretur. Gabonitas enim Saules, quasi Iosua circumscriptores, adversus fœderum ac jurisjurandi religionem eradicârât. *Talionis* ergò lege compellitur David, quantumvis invitus, in colle *Gabaa*, oppidi Sauli natalis, tres Saulis Regis, è *Respha* concubina, filios; cùm quinque nepotibus ejusdem, è *Méroba*, filia, quos Michol sibi, soror ejus, adoptârât, in crucem agere. Non est hîc silentiò transmittenda egregia *Respha* in cadavera suffixorum pietas, quæ licet in regia, delitijs, & mollibus stratis enutrita sub ipso patibulo cubile sibi erexit, petram cilicio instratam; cui incumbens, corpora pendentiùm à ferarum &

vola-

volucrum rapacium injuria, perdia perniox defen-
debat; neque in unum tantum, aut alterum diem
sed tamdiu, donec post sex, ut volunt Hebraei, men-
ses delapsa pluvia, simul Saulæi criminis piaculum,
simul placatæ iræ Divinæ argumentum & sterilita-
tis remedium, eâ curâ faminam absolvit; David e-
nim cadavera de cruce tolli, inferrique mandavit
in avitum familiæ Saulææ monumentum. Trige-
simus hic quartus erat regni ejus annus: & à patre
to, cum Betsabea flagitio decimus quintus. Nec
adhuc tamen flagellorum quies.

Anno vertente cum jam annos natus sexaginta
quatuor Rex esset: contemptu deficientis in eo sen-
sui pristini roboris; à Philisthæis, diversis quatuor
bellis ac prælijs incurritur, *Iesibenobi* gigantis, cui
David impar congressus erat, furore, viribusque
premitur: extremum adit vitæ periculum: ab *Abisai*
tamen, sororis Sarviæ filio, letho subducitur. A
prælijs igitur deinceps abstinere, vacarêque militiâ
jubetur. Sed hoste Philisthæo liber, haud multo
post in hostem relabitur *sathanam*; cujus impulsu
præcipitatus in arrogantiam; anno regni tricesimo
septimo censum agit; ac numerum init populi: lo-
bô numeratore multum invitô; DEO verò pluri-
mum offensô. Cujus proinde justo turore, pesti-
lentiâ feriuntur Israëlitarum, sub unius diei diluca-
lum, ad sacrificium usque vespertinum, millia ses-
tuaginta; melioris omnes, ac militaris sexûs. Fle-
David: infantisque populi dolet vicem: se reum
clamat: cinere caput inspergit: sacco cilicino cor-
pus macerat, ac dehonestat: in se, suosque trans-
ferri cladem exoptat. Sed non illicò tamen suppli-

cij finis. *Areuna* (seu *Orna*) *Iebusai*, super *aream*,
 sublimis stans Angelus percussor ; districto cruen-
 toque gladio Davidem non exterrit modò ; sed for-
 midinis magnitudine , grandem insuper & immedi-
 cabilem in morbum involvit. Inflaverat Davidis
 animus amplitudo dominatûs regij ; cuius poten-
 tiam æstimaturus , lustrum indixit ; nec diu post re-
 ligione tactus, inconsultæ superbix condonationem
 supplicibus à DEO precibus oravit. Hic ut aliquid
 iræ, aliquid clementiæ daret suæ, submisit *Gad* Pro-
 phetam, quò inte nuntiò, rîplicem optionem sub-
 eundæ divinitus pœnæ obtulit, eligere jussò, aut
 famem septennio grassaturam : aut bellum trimestri
 spatio multas clades daturum : aut pestem triduo in
 subjectum populum sævituram. Miser Rex, inter
 saxum & cultrum positus, cum non haberet, quò
 se verteret, præoptavit diram pestem, malum sibi
 commune cum subditis futurum ; ut veniret in par-
 tem supplicij, qui pars maxima fuisset irritatæ Nu-
 minis vindictæ ; nam cum posset à regia sua damna-
 tam agrorum infelicitatem avertere horreis com-
 meatu plenis : hostem verò munimentis à se exclu-
 dere ; mortalitatis pœnam elegit sibi quoque, si ita
 ferret DEI voluntas, subeundam. Placavit ea sub-
 missio vindicem DEI manum, desijt pestilientia ; uti-
 que postquam etiam Sacrificium accessit, eo pera-
 ctum in loco (monte *Moria*, qui pars montis *Sio-
 nis*) ubi Angelus minacem vibravit gladium ; &
 jam olim Abrahamus mactaturus filium, ferrum
 strinxerat. David ibidem in grati & religiosi me-
 moriam animi altare consecravit, templum quo-
 que exstructurus, nisi piè destinata DEUS in succes-
 soris

foris filij curas transferre maluisset. In his supplicij pendendis David memorabili documento fuit, Principum peccata non rarò subditis luenda, juxta illud :

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Adeò verum est, Magna capita neque solis sibi vivere, si sanctè & feliciter vivant ; neque solis sibi cadere, si à virtute contingat excidere. Quamquam neque populus extra culpam ponendus, cujus cum Seba, homine perduelli, contra Davidem conspiratio inulta non potuit esse illi Tribunali, nihil quod impunitum abire sinat.

Pestem depulsam, anuus vitæ septuagesimus, regni quadragesimus, & utrinque supremus insequitur : nec ipse per omnia tranquillus. Rex corporis assiduo pæne rigore, paralytis in morem, confictus, vestimentorum openulla calefit. *Adonia* præterea filij, sese Regem creantis turbis & conjuratione ; *Betsabæ* verò lacrymis ac sollicitudine pro filio *Salomone* ; partium denique studijs, hinc in *Adoniam*, illinc in *Salomonem* ardentibus agitur. Non ergo magna sine mole, turbata componit : comitia regni, pene jam moribundus agit : ac vitâ tandem excedit. At nec postremus hic actus, acerbe necessitatis expers erat : quando Rex optimus, veniæ quidem per se pronior, Justitiæ tamen ad ultimum tenax ; oculis rorantibus, *Salomoni* successori, *Semeiæ* maledici, *Ioabique* siccarij, majestatis crimine pollutorum, cædem delegat. Ita non dicitur, quàm calamitatum plenior, exspirat. Ut interim angores prætereamus, ac formidines, quarum in *Psalmis* assiduò meminit : quibusque Regis

omnis posterior vita , tanquam lanceis hostilibus circumfessa, dispungebatur. Tanta malorum ilias, et unico lascivore oculorum, in fæminam conjecta, originem traxit.

NARRATIO LXXII.
REGIS SALOMONIS
DECORA.

3 Reg. 3. 4. 9. 10.

Ab Anno Mundi 3032. Ad Annum 3043. Ante
Christ. 1030. Ad Ann. 1006.

Salomon, Davidis ex Betsabea filius, regni que successor, mortalibus est documento, DEI non tantum iras, sed etiam dona timenda esse. Cujus initia cœlestis orditur favor, & sequentes progressus, initijs pares; extrema, plena sunt infamia & horrore. *Mens bona*, quam à DEO sortitus fuerat, donorum maximum, & inæstimabile, in regijs præsertim pueris: Odisse malum: in bonum propendere: ferri in sapientiam virtutesque, præclara ingenij tractabilitate: in omnes formas, velut cereum flecti; meritò Salomonis primas inter laudes memorantur. Non gratius ridet aurora diei serenissimæ; quàm ætas illa (cui se DEUS largiter infundebat) amabilitatem quandam, velut prodromos magnarum virtutum radios, in oculos, animosque omnium sparsos evibrabat, & intuentes mirificè sibi devinciebat. Inhæsit Salomoni ab adolescentia sitientissimus ardor, & æstimatio scientiæ immensæ; hanc vigilans perpetuò cogitabat; hujus

X